in communi, quam fingit Averſa; nam illa eſt rerum realiter diſtinctarum à carne Chriſti, imò accidentium, & circumſtantiarum ipſius incarnationis quoad ſubſtantiam conſideratæ, ut declaratum eſt *n.* 35 ideoque poteſt in Deo admitti; iſta verò eſt differentiarum realiter identificatarum, ideoque fieri nequit, niſi ab intellectu creato rem imperfectè, & confusè concipiente.

44 Quin etiam contra Averſam addo, quod quamvis Deus non decreuiſſet de facto Incarnationem, niſi ad redimendos homines à peccatis, ut ipſe contendit, adhuc probabile eſt, quod eſtò nullum peccatum eſſet futurum, ſed perſeveraret innocentiæ ſtatus, poſteris, Chriſtus veniret, & naturam adhuc humanam Verbum aſſumpſiſſet ex vi alterius decreti, quod haberet data hypoteſi, quod nullum videret peccatum futurum; & ratio eſt, quia adventus eius in eo caſu oſtenderet mirabiliter potentiam, & liberalitatem divinam ergà homines, & præterea in magnum Dei cederet honorem, ſiquidem à nullo puro homine tam perfectè laudari poſſet, & amari, quàm à Chriſto, ergò probabile eſt, quod Incarnationem Chriſti decerneret in eo caſu ex vi alterius decreti. Dices, cur potius in eo caſu probabilius eſſet, quod naturam humanam aſſumeret, quàm angelicam, cùm eadem attributa, & liberalitatem ſaltem ergà illos oſtenderet, & adhuc per talem aſſumptionem diceretur ſe perfectiſſimo modo communicare creaturæ? Reſp. quod ſicut non decrevit de facto naturam angelicam aſſumere, ut liberaret eos, qui peccaverunt, à peccatis, & tamen decrevit aſſumere naturam humanam ad liberandos homines; ità videri probabilius, quod aſſumeret naturam humanam potius, quàm angelicam, etiamſi peccatum non eſset futurum; Tùm quia ſi angelicam naturam aſsumeret, non ſe omni creaturæ communicaret tam corporeæ, quam incorporeæ, ſed aſsumendo naturam humanam, quæ partim eſt corporea, partim ſpiritualis, omni creaturæ diceretur ſe quodamodo communicare; Tùm denique quia maioris libealitatis, & amoris inditium eſset, quod ignobiliorem naturam, qualis eſt humana, aſsumeret, iuxtà illud Apoſtoli, *Angelos non apprehendit ſemen Abrahæ apprehendit*.

45 Tertiò probatur, nam hoc maximè divina providentia exigere videbatur, cum enim Chriſtus Dominus ſit filius Dei naturalis, primus prædeſtinatus, & primogenitus omnis creaturæ, pertinebat ad perfectiſſimam Dei providentiam, ut non ſit volitus dependenter à peccatis aliorum hominum, alioquin filius naturalis eſſet dilectus propter ſervos, & dependenter ab amore ſervorum. Confirmatur, quia neque conſentaneum divinæ providentiæ videbatur, quod maximum bonum totius univerſi, ut eſt incarnatio, dependeret a ſummo malo, quod eſt peccatum.

46 Reſpondet oppoſitam ſententiam nihil derogare divinæ providentiæ, nam licet Chriſtus volitus ſit dependenter a peccato, adhuc eſt filius naturalis Dei, primogenitus omnis creaturæ, & primus prædeſtinatorum ſaltem primitate dignitatis; quod ſi volitus eſt propter ſalutem ſervorum, non fuit iſte finis ultimus, ſed potius hoc ipſum relatum eſt ad Chriſti gloriam, quæ magis hoc modo manifeſtatur. Ad Conf. negant aſſumptum, quia non eſt novum in divina providentia ex malo bonum elicere iuxta illud Auguſt. in Encherid. cap 27. *Melius judicavit Deus de multis benefacere quàm mala nulla eſſe permittere*; quo pacto occaſione peccati Faraonis multa patravit miracula: & in ſententia ipſius Scoti ex occaſione peccati Deus prædeſtinavit Chriſtum, ut redemptorem hominum in carne paſſibilem, quem alioquin non prædeſtinaſſet, ut redemptorem.

47 Sed iuxta hanc viam non bene ſaluari Chriſtum eſſe primum prædeſtinatorum, & omnis creaturæ primogenitum conſtat ex dictis art 1. quandoquidem Chriſtum talem appellant, non tantum ordine dignitatis, & excellentiæ, ſed etiam cauſalitatis, & originis. Cum vero dicunt, non poſſe dici abſolutè loquendo Chriſtum volitum eſſe, & amatum propter ſervos ac dependenter ab eorum amore, quia ſervorum ſalus non fuit finis ultimus Incarnationis, ſed potius ipſa Chriſti gloria, & exaltatio, ad quam ipſa noſtra ſalus, & redemptio ultimatè ordinatur, ut potè per eam latius manifeſtata. Hoc planè dictum, vel manifeſtum admittit circulum in cauſis in eodem genere cauſæ, vel in noſtram recidit ſententiam: primum ſic oſtendo, quia incarnatio includit Chriſtum, cuius gloria fuit magis, & principalius amata, quia ad eam non ſolum ordinavit incarnationem, ſed etiam redemptionem, quæ fuit finis propinquior incarnationis; ergo incarnatio, prout includit Chriſtum, non tantum amata eſt à Deo, ut medium ad redemptionem, ſed etiam ut finis ipſius Redemptionis, quod totum gratis concedit Amicus *diſp 7 ſect 3. n.* 115. in ſolutione huius argumenti: hoc autem quis non videt manifeſtum, & vitioſum involuere circulum in eodem genere cauſæ; nam gloria eſſentialis Chriſti in hoc myſterio eſt excellentia unionis hypoſtaticæ, quæ includitur in ipſa incarnatione, hæc autem dicitur ab Adverſariis amari, & intendi à Deo, ut finis ipſius redemptionis, ac pariter ut medium ad ipſam redemptionem; ergo a primo ad ultimum excellentia incarnationis, in qua eſſentialiter conſiſtit gloria, & exaltatio Chriſti, eſt ſimul, & ſemel finis, & medium noſtræ redemptionis. Alterum verò ſic etiam oſtendo, quia nos etiam dicimus finem præcipuum, & principalem huius myſterii fuiſſe gloriam, & exaltationem eſſentialem ipſius Chriſti, prout diſtinguitur a gloria & exaltatione accidenteli, quæ illi obuenit præciſè ex morte, & paſſione ſua pro ſalute humani generis ſub titulo Redemptoris, & Servatoris, iuxta diſtinctionem datam de duplici Chriſti gloria eſſentiali, & accidentali *n.* 30. ſi ergo hæc gloria, & exaltatio Chriſti eſſentialis eſt finis pręcipuus & principalis huius miſterii; iam a propria recedunt ſententia, quod hoc fuerit redemptio noſtra; Quod eo præſertim dicendum eſt, quia quamvis gloria Chriſti accidentalis illi obvenerit dependenter a paſſione ſua, & redemptione noſtra gloria tamen eſſentialis, quæ conſiſtit in exaltatione humanitatis Chriſti per ſolam unionem hypoſtaticam ſuperantem omnem ordinem naturæ, gratiæ, & gloriæ, nullam habet per ſe dependentiam a paſſione, & carne paſſibili Chriſti, ſed præciſè ex ipſa hypoſtatica unione.

48 Hinc alii Recentiores allatam ſolutionem non recipientes gratis nobiſcum fatentur, non potuiſſe remedium peccati appeti propter incarnationem, & hanc viciſſim propter remedium peccati, quia idem eſſet prius, & poſterius, dependens, & independens reſpectu eiuſdem, & in eodem genere cauſæ, quod prorſus repugnat; cum enim ordini intentionis correſpondeat ordo executionis, oporteret ut finis, qui nondùm obtentus eſt, eſſet medium ad conſequendum eum, qui iam ſupponitur obtentus, ut conſtat in exemplo, quo ſolent Adverſarii uti, de voluntate pharmaci ſumendi propter morbi remedium, & de voluntate remedii propter pharmacum quomodo enim ſanitas, quæ necdum exiſtit, eſſe poteſt medium ad ſumendum pharmacum iam hauſtum? Tùm quia, ſi gloria, & exaltatio Chriſti eſt finis noſtræ redemptionis, & redemptio finis proximus incarnationis; incarnatio vero medium ad utrumque, proximè quidem ad redemptionem, & ſalutem noſtram, remotè verò, & ultimatè ad Chriſti gloriam, & exaltationem, ut Adverſarii reſpondebant; iam amplius defendere nequeunt redemptionem, & remedium peccati fuiſſe finem præcipuum, & principalem incarnationis, ut oppoſita aſſerit ſententia, ſed finis præcipuus, & principalis erit gloria, & exaltatio Chriſti; & ratio eſt quam aſſignavimus *lib. 2. diſp. 5.* de actibus humanis *q 4 art. 5 num.* 242. quando enim idem actus habet plures fines ſubordinatos, id eſt, non æquè proximè, & immediatè moventes, ſed ordine quodam, ut quando actum charitatis ordine ad impetrandam caſtitatem, ubi motivum virtutis proximum ſubordinatur remoto, ut medium fini; tunc motivum proximum non eſt motivum præcipuum, & principale, ſed tale eſt motivum remotum, & ultimatum. Tùm tandem, quia dùm ad ſoluenda noſtra argumenta hos plures fines incarnationis ſubordinatos excogitarunt, jam ſibi manifeſtè contradicunt, dum contra nos adducunt Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quorum aliqua pro unico, & adæquato motivo incarnationis ſolùm peccati remedium adducunt, & omne aliud excludunt; Quarè ad hęc incommoda evitanda alii abſolutè dicunt præciſum, & adęquatum incarnationis motivum fuiſſe peccati remedium; Sed neque hoc ſatisfacit, negari enim nequit, quin etiam interdum in Scriptura, aliqua alia cauſa, & ratio incarnationis aſſignetur præter peccati remedium, ut conſtat ex dictis; tùm quia Concil. Trident. conceptis verbis docet *ſect 6 cap. 7 cauſam finalem noſtræ juſtificationis eſſe gloriam Dei, & Chriſti*, quem locum explicare neſciunt contrarii, niſi recurrendo ad vitioſum criculum iam rejectum.

49 Nec etiam ſatisfacit reſponſio data ad Confirmationem principalis argument. quamvis enim conſentaneum ſit validè divinę providentiæ ex malo elicere bonum, ut Auguſtinus dicebat; non tamen conſentaneum eſt, quod plus dilexerit redemptionem noſtram, quàm Chriſti incarnationem, quandoquidem res Deus diligat juxtà gradum bonitatis earum; hoc autem ſequeretur, ſi voluiſſet incarnationem Chriſti dependenter omninò à peccato, nam illud plus diligitur, quod diligitur, ut finis, & illud minus, quod diligitur, ut medium, juxta illam maximam, propter unumquodque tale, & illud magis; ſi autem Chriſtus fuiſſet pręciſè volitus propter remedium peccati, dilectus fuiſſet, ut mediũ noſtra verò redemptio, ut finis; ergò magis dilecta fuiſſet noſtra redemptio, quam Chriſti incarnatio. Neque valet paritas aſſumpta in inſtãtia ex Scoto deſumpta; aliud enim eſt loqui de morte, & Paſſione Chriſti, aliud de incarnatione eiuſdẽ; utique enim ex occaſione peccati voluit eius mortem, & paſſionẽ propter noſtram ſalutem, quia mors, & paſſio Chriſti non habet rationẽ per ſe amabilis, ſed in ordine ad aliud, ſicut ſectio tibiæ, vel brachii; at incarnatio eſt valdè propter ſe appetibilis ob maximam ſui excellentiam, & ideo divinæ providentiæ conſentaneũ non videtur, quod tantum bonum fuerit volitum dependenter à ſummo malo quod eſt peccatum, & quod Deus dilexerit magis bonum aliorum hominum, quam humanitatis aſsumptæ à Verbo.

Reſp.

50 Reſpondent rurſus concedendo, quando medium amatur, ut purum medium, minus amari, quam finem, propter quem amatur; negando vero, quando non amatur, ut purum medium, ſed ſimul, ut finis, & quidem perfectius, quam ametur finis ipſe, ad quem proximius ordinatur; ſic autem amatur Chriſti incarnatio à Deo, quæ ita amatur propter remedium peccati, ut etiam ametur propter ſe, & ad Chriſti exaltationem referatur etiam ipſa noſtra redemptio; Sed hæc ſolutio fundatur in doctrina iam rejecta, quod Chriſtus potuerit amari à Deo propter noſtram redemptionem, ut finem, & hæc rurſum, ut medium, propter gloriam ipſius Chriſti. Dices etiam nos conceſiſſe ſupra *nu.* 30. poſſe Deum id, quod perfectius eſt, ordinare ad aliquid minus perfectum, & ſic pariter potuiſſe Incarnationem, quæ ſecundum ſe longè perfectior eſt, quam ſit noſtra ſalus, ad eam ordinare, imò de facto ſic ordinaſſe, ità quod in primo ſigno rationis prædeſtinationis Chriſti fuerit per ſe amata, ac intenta antè præviſionem peccati; in poſteriori vero ſigno permiſſo, & præviſo peccato, ut abſolutè futuro, fuiſſe etiam amatam, & per voluntatem ordinatam in noſtram redemptionem. Reſpondeo diſparem eſſe rationem; Adverſarii namque in nullo ſigno admittunt incarnationem eſſe propter ſe amatam, & volitam per modum finis, ſed ſemper eſſe volitam in ratione medii, proximè quidem ad redemptionem, & ſalutem noſtram remote verò ad Chriſti gloriam, & exaltationem; nos verò dicimus in priori ſigno rationis, ac primaria intentione fuiſſe per ſe volitam, & intentam modum finis, in poſteriori verò ſigno præviſo peccato ſecundaria intentione fuiſſe ordinatam per modum medii ad noſtram redemptionem, & in hoc ſenſu non inconvenit id, quod perfectius eſt, & ſemel propter ſe volitum primaria intentione, ordinari poſteà ſecundaria intentione per modum medii ad aliquid minus perfectum; ex hoc enim non ſequitur, quod abſolutè loquendo magis dilecta fuerit noſtra redemptio, quàm Chriſti Incarnatio, & quod Deus magis dilexerit bonum aliorum hominum, quam humanitatis à Verbo aſſumptæ, & ſervorum, quam proprii filii naturalis. Tùm quia quando etiam dicimus, Incarnationem in poſteriori ſigno volitam fuiſſe in ratione medii ad noſtram redemptionem, hoc non aſſerimus de ipſa Incarnatione quoad ſubſtantiam præciſè conſiderata, ſed præſertim conſiderata ſub modo paſſibilitatis, ſub hoc enim modo pręcipuè fuit medium ad noſtram redemptionem ordinatum; at quoad ſubſtantiam conſiderata ſine tali modo fuit ſolum amata propter ſe, & per modum finis, & in hoc ſenſu ſemper plus amata, quàm noſtra redemptio.

51 Quartò ulterius probat Doctor, quia ſi Chriſtus non veniſſet non exiſtente peccato, ſequeretur primò Incarnationem non eſſe bonum ſimpliciter, & abſolutè, vel ſaltem non eſſe ut tale, amatum, ſed tantum veluti bonum occaſionaliter, ſicut ſectio tibiæ, potio amara, & pænitentia, quæ non appetuntur niſi occaſione alicuis mali evitandi Sequeretur inſuper Chriſtum aliquo modo debere hominibus gloriam, & exaltationem, quam ex Incarnatione accepit, ſiquidem ſi Adam non peccaret, Chriſtus non veniret.

Reſpondent, duplex eſſe bonum occaſionatum, aliud quod non eſt prorſus bonum, niſi exiſtente tali occaſione, cuiuſmodi eſt pœna, & pænitentia, quæ omninò ſupponit peccatum; aliud quod de ſe quidem, & ſimpliciter eſt bonum eligitur tamen ex aliqua occaſione, quamvis ſine illa potuiſset quoque eligi; & hoc modo abſurdum non eſt Incarnationem etiamſi de ſe ſit maximũ bonum, fuiſse à Deo electam, ac prædefinatam occaſione peccati in remedium ipſius; ſic enim ait Eccleſia, fuiſse neceſsarium Adę peccatum; imò Vaſquez diſputat. 10. cap. vit. argumentum retorquens inquit, ex hoc modo decernendi Incaratioẽ ex occaſione peccati maiorem oſtendi dignitatem huius myſterii, & ex noſtra ſentẽtia valdè extenuari, quia majus beneficium eſt, quod præſtatur indigno, quàm id, quod digno datur; hoc autem beneficium Adamo peccante indigno conceſsum eſt, non peccante conceſſum fuiſset, digno, ergò eo modo conceſsum multò majus beneficium eſt, & amoris, atque miſericordiæ argumentum, eo quod indigno fuerit præparatum. Ad Confirmationem negant ſequelam, cum enim gloria, & exaltatio Chriſti non proveniat ex natura rei ex occaſione peccati, cùm adhuc poſito peccato poſset Deus non incarnari, ſed totum hoc proveniat ex divina voluntate volente Chriſtum exaltare, & honorare mediante morte, & paſſione ipſius; ideò nullatenus dici poteſt, debere Chriſtum peccato, vel peccatoribus ſuam gloriam, & exaltationem; ſicut neque medicus debet famam, & honorem, quem conſequitur ex curatione infirmitatis, ipſi infirmitati, ſed ſolùm ſuæ ſcientiæ, & peritiæ.

52 Cæterum licet hæc reſponſio benè ſalvet incarnationem non eſse in ſe bonum occaſionatum, ſicut eſt amara potio, & pænitentia non tamen ſaluat, quin in ſententia oppoſita volita fuerit ſaltem per modum talis boni occaſionati; & hoc præſertim concludere intendit Doctor per hoc argumentum, & quod prorſus minus conveniens videatur quod Deus tam grande bonum voluerit per modum boni occaſionari, & præordinauerit ex ſola occaſione peccati; longè enim convenientius apparet, ut facto prius, & independenter à peccato illo decreto de aſſumẽda humana natura, poſtea ex occaſione peccati, & ex miſericordia Dei ergà humanum genus, cui ſubvenire volebat, determinata ſit aſſumptio in natura humana paſſili; & certè in hoc præciſe ſenſu inquit Eccleſia, incarnationem Chriſti ex peccato Adę occaſionem ſumpſiſse, ut, ſcilicet, veniret in carne paſſibili, ut ipſa verba oſtendunt, *ò certè neceſſarium Adæ peccatũ, quod Chriſti morte deletum eſt*. Neque inſtantia Vaſquez eſt alicuius momenti, alioquin eodem argumento probaretur, beneficium gratiæ juſtificantis modò extenuari, quia datur digno, & diſpoſito per contritionem, & pænitentiam, alioquin futurum majoris valoris, ſi daretur indigno, & indiſpoſito; ſicut ergò hæc conſecutio non tenet, ità neque in propoſito; unde illa maior aſsumpta eſt falſa, quod majus beneficium ſit, quod præſtatur indigno, quam digniori, alioquin maius quoque beneficium fuiſset maternitas Mariæ, ſi eam accepiſset peccato inquinatam quàm ab omni labe præſervatam; falſa eſt, inquam, illa maior, quia beneficii magnitudo ex ſua natura pendet, non autem ex conditione recipientis. Dices, ſaltem hoc eſse inditium majoris liberalitatis, amoris, & miſericordiæ ex parte dantis, quod tantum beneficium fuerit indigno præparatum. Reſpondeo potius inditium maximi amoris, & miſericordię Dei erga genus humanum ex eo capitè eſse ſumendũ, quod cùm Chriſtus ex vi primi decreti ſuæ prædeſtinationis venire debuiſset, ut glorificator, impaſſibilis, & immortalis, quatenus per naturalem ſequelam debebat animæ beatitudo redundare in corpus modo ſupra explicato *n.* 33. in poſteriori ſigno præviſo peccato, ut tantæ miſeriæ ſubveniret, decrevit Chriſtum venturum in carne paſſibili, & mortali, ut per ſuam paſſionem, & mortem genus humanum redimeret, quod ſatis expreſsè indicat Eccleſia verbis illis, *ò ineſtimabilis dilectio charitatis ut ſeruum redimeres filium tradidiſti* Nec minus ſequitur, ut urget Vaſquez, iuxtà noſtram ſententiam, quod Chriſtus obiter, & quaſi aliud agens veniſset ad ſaluandum nos; licet enim ante pręviſionem peccati fuiſſet decreta incarnatio quoad ſubſtantiam, ſtatim tamen poſt pręviſionem peccati ex propoſito, & magno noſtræ ſalutis affectu, ac primaria intentione, decrevit incarnationis modum, ut nempè veniret in carne paſſibili pro humani generis redemptione.

53 Reſponſio pariter ad Confirmationẽ, licet benè ſaluet, non debere Chriſtum peccato, & peccatoribus ſuam gloriam, & exaltationem per ſe, & directè, cum adhuc poſito peccato potuiſſet non incarnari; non tamen ſaluat, quin ſaltem hoc totum eis debeat per accidens, & indirectè; qua ratione etiam Medicus debere dicitur famam, & honorem infirmitati, vel infirmo curato, quatenus ex tali occaſione eius peritia enituit alioquin latitura. Imò nec omninò benè ſaluat illa reſponſio, quod Chriſtus peccato non debeat ſuam exaltationem, & gloriam per ſe, & directè; quamvis enim adhuc poſito peccato potuerit non incarnari, & miſericordia Dei fuerit cauſa incarnationis, & prædeſtinationis eius; non id tamen tollitur, quod etiam peccatum non fuerit cauſa ejuſdem prædeſtinationis, & quidem primaria, & per ſe. in oppoſita ſententia; neque Deus miſericordia motus fuiſset ad mittendum Chriſtum, niſi prius fuiſset peccatum; Imò hac ipſa ratione D. Cyrillus *lib. 5. Theſ. c. 3.* impugnat errorem quorundam aſſerentium, Deum ea intentione, & fine produxiſse Verbum divinum, ut Creaturæ ab ipſo Verbo producerentur; nam ſi hoc ità eſset (inquit Cyrillus) ſequeretur, Verbum divinum debuiſse gratias agere creaturis quod propter illas fuiſset a Patre æterno genitum. Reſpondet Orlandus, argumentum Cyrilli procedere in caſu diſſimili, nam arguit contrà Arrianos aſserentes, Verbum divinum fuiſse productum à Patre, ut inſtrumentum ordinatum ad productionem creaturarum, tanquam ad finẽ principalem, & principalius dilectum, nos verò, inquit, non aſſerimus, Incarnationem fuiſse factam propter remedium peccati, ut propter finem principalem amatum ultimatè. Sed planè ſic reſpondendo alium principaliorem finem Incarnationis aſſignant pręter peccati remedium, nempè Chriſtum ipſum magis à Deo dilectum, quàm ipſa hominum redemptio; ergò ſublato peccato adhuc exiſteret incarnatio, & pręter remediũ peccati habet Deus aliud principalius motivum prædeſtinandi Chriſtum, excellentiam nimirum ipſius myſterii, & exaltationẽ, & gloriam indè humanitati aſsumptæ obvenientem, ac alia bona indè conſequentia.

54 Quintò tandem probant alii Recentiores noſtræ ſententię fautores, præſertim Baldius quæſito *4. quæſt. 1. difficult.* 2. quoniam genus humanum, & totum univerſum non eſt melioris conditionis exiſtente peccato, quam eo ſecluſo; ſed exiſtente peccato genus humanum aſsumptione humanitatis fuit dignificatum; ergo eodem modo dignificatum manere etiam non exiſtente peccato ex vi eiuſdem decreti incarnationis quòad ſubſtantiam conſideratæ habiti in primo ſigno prædeſtinationis Chriſti, quod deducunt ex illo ad Roman. 5. *Si enim cùm inimici*

eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis iam reconciliati ſalui erimus in vita ipſius. Ex quo etiam rurſus ſic arguitur, Deus maiorem curam habet hominum, poſtquàm ſunt à peccato liberati, quàm dùm erant peccatores; ergo ſi perſeveraſſent in gratia, multò magis dilexiſſet, & maioribus beneficijs proſecutus eſſet; at peccatores adeò dilexit, ut illis tribuerit Chriſtum; ergò iuſtis etiam, ſi perſeveraſſent, multò magis eundem Chriſtum donaſſet; quæ quidem ratio connexionem habet cum ſecunda iam adducta num. 42. & eſt veluti quædam eius confirmatio. Remaneret hic adhuc probandum, quod peccato non exiſtente Chriſtus adhuc veniſſent ex vi primæ electionis; & prædeſtinationis eius; ſeu ex vi decreti Incarnationis iam conditi in primo ſigno; ſed quomodo id contingeret iam explicatum eſt ſupra *nu.* 35. & adhuc magis explicabitur infra in ſolutione obiectionum art. ſeq.

55 Quod autem dicebant Auctores tertiæ ſententiæ, Chriſtum adhuc venturum ex vi alterius decreti, quod feciſſet data hypoteſi, non facit ad rem, ſi enim præſentia decreta ſemel excludimus profectò ſatis efficaciter indè ſuadetur, planè divinari ſine fundamento, dùm dicitur eo caſu ſucceſſurum in Deo alium actum, vel aliud decretum, quo etiam vellet Incarnationem, vt benè urget Arriaga *diſp.* 14 *ſect.* Vndè Auctores ſic diſcurrentes, vel non reſpondent quęſito, vel in primam relabuntur ſententiam, ſiquidem, ut ab initio quæſtionis adverti, quæſitum vertitur de præſenti decreto facto in primo ſigno prędeſtinationis Chriſti, & in hoc ſenſu loquuntur Auctores primę ſententiæ, dùm negant, Chriſtum venturum non exiſtente peccato; alioquin, & ipſi quoque ultrò concederent, Chriſtum venturum etiam Adamo non peccante, ex vi alterius decreti quod factũ eſſe data hypoteſi; aut ſaltè dicerent ſe de alio decreto, quod extitiſſet, nõ diſputare; qui enim novit ſẽſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, ait Ap.

ARTICVLVS QVARTVS.

Fundamenta convelluntur adverſæ ſententiæ ex teſtimoniis Scripturæ, & Patrum.

56 IN oppoſitum arguunt Thomiſtæ, quorum primum, & præcipuum fundamentum eſt ex Divo Thoma deſumptum, quod cùm hoc opus fieri potuerit propter varia motiva, ordinarique ad diverſos fines; nequit à nobis certo cognoſci, quonam de facto motivo, finevè Deus motus ſit ad illud decernendum, quàm ex his, quæ nobis de hoc myſterio revelata ſunt; Sed ex iis, quæ nobis de hoc myſterio revelata ſunt, expreſsè habemus redemptionem humani generis, ac remedium peccati fuiſſe unicum, & totale motiuum Incarnationis, vel ſaltem magis principale; ergo hoc, & non aliud aſſerendum eſt motiuum Incarnationis, quo proindè ſublato Incarnatio facta non fuiſſet ſaltem ex vi præſentis decreti. Maior eſt communis regula Theologorum; Minorem verò probant ex pluribus Scripturæ locis, quæ ubicunq; loquitur de motivo, & fine Incarnationis, ſolum aſſignat remedium peccati, ut Lucæ 19. *Venit filius hominis quęrere; & ſalvum facere, quod perierat,* & 1 ad Tim. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſalvos facere,* ad Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum, ut eos qui ſub lege erant redimeret,* & ſic paſſim loquitur de hoc myſterio. Deindè probant ex Patribus, qui prædicta loca exponentes non ſolùm aſſignant remedium peccati pro unico & adæquato Incarnationis motivo, ſed poſitivè, & expreſsè omne aliud excludunt; ſic Auguſtinus exponens primum locum Lucæ 19. inquit *ſi homo non peccaſſet, filius hominis non veniſſet,* Et gloſſa exponens ſecundum 1. ad Tim. 1. inquit, *nulla cauſa fuit Chriſtum veniendi, niſi peccatores ſalvos facere, tole morbos, tole vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa,* & ſic paſſim loquuntur alii Patres, quorum Verba per extenſum referunt Vaſquez, Lugo, Amicus, Meracius, & alii Denique probant ex ſenſu totius Eccleſiæ, dùm in Symbolo fidei canit, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cęlis,* & in quodam hymno de B. V. *Peccatores non abores ſive quibus nunquam fores, tanto digna filio,* & in benedictione Cerei Sabbato ſancto, *ò certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt; ò fęlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.*

57 Ad hæc loca ſolet à noſtris triplex afferri ſolutio, quas omnes reiiciunt; Prima eſt Suarez *diſp.* 5 *ſect* 3. & 4. ex duplici motivo totali Deum decreviſſe Incarnationem, prius quidem ex complacentia ipſius myſterii ante prævisum peccatum; poſterius vero ex affectu noſtræ ſalutis poſt prævisum peccatum, atque adeo ceſſante poſteriori motivo adhuc ex priori Deum incarnandum fore Hanc autem reiiciunt; quia applicari non poteſt teſtimoniis Patrum, in quibus ità expreſsè habetur; Chriſtum propter noſtram redemptionem veniſſe, ut ſimul doceatur non venturum homine non peccante. Secunda ſolutio eſt aliorum, quam etiam refert, & approbat Suarez ſect. 4. in fine dicentium à Scriptura, & Patribus aſſignari cauſam Incarnationis, quatenus mandata eſt executioni ſub modo poſſibilitatis, non autem ut primo decreta eſt ordine intentionis. Hanc verò etiam reiiciunt, quia ſi in ordine intentionis non pendebat incarnatio à peccato, nec pendere potuit ſecundum ordinem executionis, ſiquidem nihil eſt in executione, quod in intentione non pręceſſerit, undè tantum differunt ſecundum ordinem prioris, & poſterioris. Tertia tandem ſolutio eſt Scoti, & Scotiſtarum dicentium Scripturam, & Patres aſſignare cauſam incarnationis non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, & circumſtantiam, quatenus ſcilicet, facta eſt in carne paſſibili, & mortali, & utique incarnationis hoc modo conſideratæ remedium peccati fuit unicum, & adæquatum motivum. Sed hanc quoque reiiciunt, quia Scripturæ, & Patres, quando Incarnationis ſolam aſſignant cauſam noſtram ſalutem, ac redemptionem, loquuntur de Incarnatione ſimpliciter, & abſolutè, & non tantùm quoad modum, & circumſtantiam, Tùm quia medium neceſſarium ad noſtram ſalutem non fuit ſola circumſtantia incarnationis ſed ipſa quoque incarnatio ſecundum ſubſtantiam; Ergo redemptio eſt cauſa finalis incarnationis tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum, & circumſtantiam. Tùm tandem quia ſi tantùm in carne paſſibili venit propter peccatum tunc remedium peccati fuiſſet tantùm finis modi veniendi, non veniendi ſimpliciter, quoniam, quod eſt cauſa, ut aliquis veniat in aliquem locum tali modo, nempè indutus, vel nudus non eſt ſimpliciter dicendum cauſa, ut veniat Scripturę autem, & Patres ſimpliciter, & abſolutè pronunciant, redemptionem noſtram fuiſſe cauſam, ut Chriſtus veniret, non autem fuiſſe cauſam, ut hoc, vel illo modo veniret, ita arguunt Vaſquez, & cæteri Adverſarii.

Reſpondeo in primis; ſi argumentum propoſitum convincit, redemptionem; ſeù peccati remedium fuiſſe unicum, & totale incarnationis motivum, aut ſaltem primarium, & principale, etiam Adverſarios ad eius ſolutionem teneri, cùm ipſi quoque ore rotundo dicant incarnationem non fuiſſe facta propter remedium peccati, ut propter finem totalem, nec magis principalem, & principalius amatum; hunc enim finem dicunt fuiſſe ipſius Chri gloriam, & exaltationem, ut conſtat ex dictis; iam ergò talis finis non erit ſola rendemptio, & remedium peccati, ut probat argumentum; ſed ipſa Chriſti gloria, & exaltatio, ad quam noſtra quoque ſalus, & redemptio ultimatè ordinatur; conſequentia patet ex dictis *n.* 48 quando enim motiuum proximum ſubordinatur remoto ut medium fini, tunc motivum proximum non eſt motivum præcipuum, & principale ſed tale eſt motiuum remotum, & ultimatum. Nec juvat, quod inquiunt; utique peccati remedium non fuiſſe adęquatum incarnationis Chriſti motivum; ſed finem eius adæquatum, & integrũ conflari ex ipſomet Chriſto tanquam ex fine *cui*, & redemptione generis humani, tanquam ex fine *cuius*, ex quibus integratur unus finis totalis, & integer. Non, inquam, valet, hoc enim non ſine expreſſa contradictione aſſerere poſſunt, cùm nil frequentius repetant, quam redemptionẽ noſtram fuiſse incarnationis adæquatum, vel ſaltem principale motivum, & ad hoc probandum tendat hoc ipſum primum argumentum ex Scripturæ, & Patrum auctoritatibus deductum, in quibus ſolum peccati remedium inſinuatur fuiſse incarnationis motivum, & quodcumque aliud excluditur, Tùm quia licet verum ſit ex fine *cui*, & fine *cuius* integrari unum finem totalem, & adæquatum, hic tamen in propoſito ex ipſomet Chriſto, & redemptione generis humani integrari non poterit, nam ex Ariſt. lib 2 de anima *cap.* 4. finis *cuius gratia* dicitur ille, propter quem adipiſcendum, vel conſequendum aliquid fit finis vero *cui* eſt illud ſubjectum, cui finis *cuius* procuratur adipiſcendus, quo pacto ſe habet infirmus reſpectu ſanitatis, hæc enim, tanquam finis, *cuius gratia* ſumitur medicamentum, ordinatur ad infirmum, tanquam finem *cui* ergò pariter in propoſito finis *cui* redemptionis potius erit homo infirmus, & ſanandus, quam Chriſtus redemptor, & ſaluator, ſicut univerſaliter loquendo finis *cui* ſanitatis non eſt medicus, ſed infirmus.

Deindè etiam Adverſarii ipſi fatentur, quamplures ex adductis auctoritatibus ad rem non eſse, quia expreſse loquuntur de Chriſto paſſibili, & per ſuam paſſionem genus humanum redimente, undè ſupponunt lapſum Adæ, quo ſuppoſito aſſignant cauſam principalem veniendi Chriſtum, quæ fuit generis humani reparatio; & præſertim tales eſse auctoritates ex Eccleſia adductas, ac proinde ad rem non eſse, fatetur Arriaga *diſp.* 14. *ſect.* 2. quæ expoſitio in eo magnum habet veritati fundamentum quod Eccleſia non ſtatim, ac facta fuit incarnatio, dicit peccatum neceſſarium, & culpam fælicem, ſed poſtquam perfecta fuit redemptio, ut oſtenderet peccatum fuiſſe quidem motiuum principale, & totale redemptionis, non tamen incarnationis; In hoc eodem ſenſu dicitur B. Virgo, ex peccato digna tanto filio (licet hymnus ille auctoritatem non faciat ob deſuetudinem) hoc eſt digna tanto redemptore, adeout ly *tanto* circumſcribat dignitatem redemptoris, non glorificatoris. Denique falſum eſt, quod in argumento aſſumitur à Scripturis, & Patribus aliud motiuum, vel finem non aſſignari incarnationis præter noſtram ſalutem, & redemptionem oppoſitum 58

enim

enim jam demonſtravimus ſupra *nu.* 31. *&* 39. etiam ex locis ab ipſis Adverſarii adductis; imò, & ipſi quoque ultrà redemptionem fatentur finem principaliter intentum, & amatum Incarnationis fuiſſe ipſam Chriſti gloriam, & exaltationem, ad quam ipſa noſtra redemptio ultimatè ordinatur. Verum eſt tamen frequentius à Scripturis, & Patribus rationem Incarnationis aſſignari ex peccato, tùm quia loquũtur de Incarnatione quoad executionem, & eo modo quo de facto effecta eſt in carne paſſibili, & mortali peccato ſecuto, & præſuppoſito; tùm quia hæc ratio utilior eſt hominibus ad concipiendam peccati gravitatem, ac intenſum Dei amorem ergà peccatores, quemadmodum ipſa ſignificat Eccleſia, cùm dicit *O ineſtimabilis dilectio charitatis, &c.* juxtà dicta *n.* 52. aliæ verò rationes prædeſtinationis Chriſti, licet non omninò à Scriptura, & Patribus taceantur, minus tamen frequenter tanguntur, quia altiores ſunt, & earum cognitio minus eſt nobis neceſſaria Sicut à pari, cùm loquitur de hominum prædeſtinatione ad gloriam, docet illam eſſe factam juxtà eorum merita frequentius proximam rationem glorificationis aſſignando, & non primam omninò prædeſtinationis rationem, quia iſtius cognitio minus eſt accomodata captui noſtro, tùm quia minus utilis eſt hominibus.

60 Itaque tres illæ reſponſiones à noſtris frequenter aſſignatæ optimæ ſunt, ſi rectè intelligantur; prima quidem, & eodem prorſus modo, quo traditur à Suarez, quod, ſcilicet, fuerit Incarnatio ex duplici motivo totali, prius quidem ex complacentia ipſius myſterii antè prævisum peccatum, poſterius verò ex affectu noſtræ ſalutis poſt prævisum peccatum, itaut ceſſante poſteriori motivo adhuc ex priori Deus eſſet Incarnatus, defenditur à Mairone 3. *diſt.* 17. *qu.* 3. ubi inquit, quod licet unus, & idem effectus plures cauſas totales ſimul habere non poſſit in genere cauſæ efficientis, quia tunc aliquid dependeret totaliter ab aliqua cauſa, qua non exiſtente nihilominus eſſet, ut arguit Scotus 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. non repugnat tamen poſſe ſic habere plures cauſas finales, ſic enim de facto natura ordinavit linguam ad duos fines totales, ſcilicet, ad guſtum, & ad loquelam; quod ſi aliquis non uteretur lingua ad loquendum, non minus eſſet uſus ejus ad guſtum, ſicut ad finem ſibi debitum; & ſic pariter in propoſito ità Chriſti Incarnatio eſt de facto ordinata in peccati redemptionem, ut ſublato peccato, alia adhuc de cauſa Verbum eſſet Incarnatum, & ſic interpretandi ſunt Sancti, & Scripturę, cùm ſolam redemptionem aſſignant cauſam Incarnationis, quatenus ipſa ſola ſuffeciſſet omnia alia ſublata; Quando verò interdum dicunt ità veniſſe in peccati remedium, ut omnem aliam cauſam excludant, omninò interpretari debent de adventu in carne paſſibili, & mortali. Quoniam autem *diſp* 8. *Phyſ. & lib.* 2. *diſp.* 5. de actibus humanis *qu* 4. *art.* 5. negavimus, dari poſſe ejuſdem effectus duas cauſas totales, & actu totaliter cauſantes etiam in genere finalis cauſæ, quia diximus, rationem Scoti urgere univerſaliter in quocunque genere cauſæ, poteſt hæc prima reſponſio explicari juxtà dicta ſuperius *num.* 33. quòd nempè duo illi fines, ſcilicet, complacentia ipſius myſterii, & affectus noſtræ ſalutis eatenus dicantur totales cauſæ noſtræ Incarnationis, non quia de facto totaliter ambo illam cauſaverint, & in actu ſecundo, ſed quia ſingula illa motiva ſeorſim conſiderata fuerunt ſufficientia ad illam cauſandam, & affectus noſtræ ſalutis priori intentioni additus poſt prævisionem peccati, ità movit animum Dei, ut ex tali affectu præcisè fuiſſet Chriſtum miſſurus, etiamſi priorem intentionem non habuiſſet; & ità univerſaliter evenit, quando ratio, quæ in executione additur priori intentioni, ita movet animum operantis, ut propter eam cauſam id eſſet facturus, etiamſi priorem intentionem non habuiſſet, ut explicatum eſt *num. cit.* 33. exemplo Medici Romam ire decernentis viſendi cauſa amicum, illumque ſanandi poſtquam facto primo decreto reſcivit ipſum ægrotantem; primò enim abſolutè decreverat Romam ire ob ſolam amici viſitationem, poſteà verò agnita amici infirmitate rurſus decrevit iter aggredi ad eum ſanandum, itaut adhuc iter aſſumere ex hoc ſolo ſecundo motivo ceſſante priori. Imò ſi res attentè conſideretur, minimè dici poteſt in caſu noſtro ejuſdem effectus dari duas cauſas totales in eſſe exercito totaliter cauſantes, nam in priori ſigno, & in primo propoſito prædeſtinationis Chriſti Incarnatio volita eſt ex uno adæquato motivo ſecundum intrinſecam ejus ſubſtantiam; in poſteriori verò ſigno poſt prævisionem peccati volita eſt utique eadem Incarnatio, ſed ſub alia extrinſeca circumſtantia ex alio motivo totali adæquato, ſcilicet, ex affectu noſtræ ſalutis; quarè ſicut hæc in ordine intentionis Dei diverſa ſunt obiecta, ità pariter in executione ſunt diverſi effectus totales relati in illa diverſa motiva adæquata, ut notat Vulpes *diſp.* 5. *art.* 3. prioris decreti, obiectum fuit Incarnatio ſecundum ſubſtantiam conſiderata, poſterioris verò eadem Incarnatio ſub extrinſeca circumſtantia paſſibilitatis.

61 Secunda item ſolutio optima eſt, quia allata teſtimonia Incarnationem explicant, prout in executione facta eſt in remedium peccati, hoc enim nobis utilius erat ad declarandum ergà nos Dei amorem, & gravitatem peccati, ut dictum eſt, non autem loquuntur ex ordine intentionis, ut nuper explicatum eſt exemplo prædeſtinationis noſtræ; Et cùm dicebatur nihil eſſe in executione, quod non præceſſerit in intentione, hoc planè verum eſt accipiendo intentionem prout coincidit cum ipſa executione interna, & accipiendo executionem pro ipſa executione externa, ſic enim verum eſt nihil eſſe in executione externa, quod non fuerit præconceptum, & volitum in ipſa executione interna; at verò accipiendo intentionem propriè, ut importat ſolam finis volitionem, & prout contradiſtinguitur ab electione mediorum, falſum eſt, nihil eſſe in executione, quod non fuerit in intentione, quia intentio eſt de ſolo fine formaliter, & explicitè, & electio eſt de mediis, à quibus in executione proceditur ad finis conſecutionem; de qua duplici executione interna, & externa fusè tractavimus *lib* 1. *diſp.* 5. *de prædeſt. quæſt.* 2. *art.* 5. Optimè ergò explicatur Deum voluiſſe hoc myſterium, ſic enim benè conciliantur omnes Scripturæ, quarum aliquæ ſignificant Chriſtum eſſe primò dilectum, & amatum, tanquam finem omnium operum Dei; aliæ verò indicant, Verbum ſumpſiſſe carnem occaſione peccati; hæc autem optimè conſonant, ut inquit Suarez, ſi priores ordinem intentionis, poſteriores verò ordinem executionis explicuiſſe intelligantur, id eſt, ſi intelligamus in prioribus locis præcisè declarari amorem Dei ad Chriſtum, & intentionem ejus per modum finis aliarum rerum; in aliis verò locis explicari adæquatum divinæ voluntatis decretum etiam ut extenditur ad modum admirabilem exequendi tale myſterium. Et eſt, quod alii dicunt ſub aliis verbis auctoritates in argumento allatas intelligi debere de Incarnatione quoad ſubſtantiam, & modum paſſibilitatis ſimul, & de toto ordine prædeſtinationis Chriſti, quatenus includit primum propoſitum dandi gloriam, & omnia media volita in aliis ſignis, ut ſic enim propter noſtram ſalutem venit; non autem intelligi quoad ſubſtantiam Incarnationis tantùm, & quoad primum propoſitum dandi gloriam, & aſſumendi naturam humanam.

Tertia tandem communis Scotiſtarum ſolutio optimè quoque defendi poteſt, quamvis enim Scripturæ, & Patres abſolutè loquantur, cùm cauſam Incarnationis noſtram aſſignant redemptionem; re tamen vera intelligendi ſunt juxtà ſubiectam materiam, nimirum de Incarnatione, prout de facto effecta eſt, hoc eſt, cum modo impaſſibilitatis, unde conſideraverunt Chriſtum ſecundum modum, quo de facto venit; nec curaverunt de eo agere ſecundum modum, quo non venit, ſed veniſſet Adamo non peccante, hoc enim ad rem fidei non ſpectabat, neque ad profectum noſtrum; & propterea locutiones ipſorum abſolutè prolatæ debent intelligi de Chriſto ſecundum illum modum, quo de facto venit; ut paſſim explicant Scotiſtæ noſtri. Tùm etiam, quia Scriptura, & Patres non diſtinxerunt ſubſtantiam Incarnationis à modo, quia hæc ſpeculatio non erat multum neceſſaria, ſed ſimul conjunxerunt ſubſtantiam, & modum, & quia modus veniendi fuit, ut Redemptor, frequentius dixerunt veniſſe, ut redimeret, & quod niſi veniſſet ad redimendum, non veniſſet, quia non veniſſet, ut Redemptor. Neque ex hac reſponſione ſequitur, redemptionem non fuiſſe finem Incarnationis quoad ſubſtantiam, ſed tantùm modi, ſub quo in executione fuit: Quia cum Patres, & Scripturę ſimul coniunxerint ſubſtantiam cum modo Incarnationis, quo facta eſt, dùm redemptionem aſſignant finem Incarnationis, intelligi quoque debent ſaltem concomitanter etiam de ſubſtantia ipſa Incarnationis, quam coniunxerunt cum modo: Et hoc etiam convincitur ex illo eodem exemplo in inſtantia adducto de indumento, qui enim eſt cauſa, ut quis veniat in aliquem locum tali modo, concomitanter tamen cenſetur etiam cauſa, ut ſimpliciter veniat in hunc locum, quia de facto non venit, niſi tali modo indutus: Imò tantò magis id debet aſſeri in propoſito, quantò paſſibilitas carnis eſt conditio magis intrinſeca carni, quàm indumentum homini, undè quod ponitur cauſa paſſibilitatis carnis, debet conſequenter poni etiam cauſa ipſius Incarnationis quoad ſubſtantiam, ſicut qui eſt cauſa velocitatis motus dicitur etiam eſſe cauſa ipſius motus quoad ſubſtantiam. 62

Hinc dicebam ſuperius *num.* 33. melius dici, redemptionem fuiſſe cauſam finalem Incarnationis ſecundum utramque rationem, nempè tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum & circumſtantiam, ut paſſim admittunt Recentiores Scotiſtæ ibi citati, itaut totum Incarnationis opus tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum fuerit ad noſtram ſalutem ordinatum, cùm enim opera Chriſti fuerint Deo accepta, ut meritoria, & ſatisfactoria pro peccatis, quia erant humanæ naturæ in Verbo ſubſiſtentis, propterea benè dicitur totum Incarnationis opus etiam quoad ſubſtantiam conſideratum fuiſſe ad 63

no-

noſtram ſalutem ordinatum, & in hoc ſenſu Scripturæ, Patres, & Concilia dicunt Incarnationem Verbi eſſe ob noſtram ſalutem, quia poſt primum decretum de eius abſoluta futuritione independenter à peccato, in poſteriori ſigno prævidens Deus peccatum, & volens afferre remedium per Chriſti venturi paſſionem, & mortem, præfinivit; ut caro à Verbo aſſumenda paſſibilis eſſet, & in ea paſſionem, & mortem ſuſtineret in peccati ſatisfactionem, & ob Incarnationis myſterium, & unionem cum Verbo opera illa acceptavit, ut meritoria, & ſatisfactoria; undè paſſio Chriſti dicitur fuiſſe meritori, & ſufficienter ſatisfactoria, non quia abſolutè facta eſt in carne paſſibili, ſed quia facta eſt in carne paſſibili Verbo unita, qua ratione dicebamus *num.* 33 non tantùm modum, & circumſtantiam Incarnationis fuiſſe medium ad noſtram ſalutem neceſſarium, ſed etiam ipſam Incarnationis ſubſtantiam; & in hoc ſenſu tota Incarnatio, & Chriſti adventus ad noſtram ſalutem ordinata dicuntur.

64 Dices, ſi decretum Incarnationis, ut modo facta eſt, non tantùm attingit modum, ſed etiam ſubſtantiam ipſam Incarnationis; ergò ſublato peccato Chriſtus non veniſſet ex vi huius decreti iam conditi, quia hoc involuit ſubſtantiam incarnationis cum modo. Reſpondeo ex dictis *n.* 33 iuxta hunc dicendi modum aſſeri debere Deum duplici motivo determinaſſe Incarnationem quoad ſubſtantiam, nempè, & propter myſterii excellentiam, & propter remedium peccati, itá tamen ut primum motivum attingens præcisè ſubſtantiam Incarnationis concipiatur in primo ſigno antè prævitionem peccati; aliud verò motivum attingens ſubſtantiam, & modum determinatè concipiatur in poſteriori ſigno poſt peccati præviofinem, Quando ergò dicimus ex vi præſentis decreti jam conditi adhuc Chriſtum venturum ſublato peccato, non eſt ſermo de ſecundo decreto attingente ſubſtantiam ſimul cum modo, ſed de omninò primo decreto prædeſtinationis Chiſti ſubſtantiam Incarnationis tantùm attingente, ut magis declarabitur art. ſeq. Dices, iuxtà hunc dicendi modum admitti duas cauſas totales, & adæquatas reſpectu eiuſdem effectus, nempè, Incarnationis quoad ſubſtantiam. Nego conſequentiam ex dictis *n.* 60. quia licet in poſteriori ſigno ſit volita eadem Incarnatio non tamen eodem modo, ſicut in primo, ſed ſub tali circumſtantia, & ideò ſicut in ordine intencionis diverſa ſunt objecta, itá in ordine executionis diverſi ſunt effectus modo jam explicato.

ARTICULUS QUINTUS.

Fundamenta diluuntur ex ratione deducta.

65 PRæterea arguunt rationibus, & quidem Primò ſatis fervidè, & ſuo videri ineluctabiliter arguit Vaſquez, quia ſi Chriſtus veniret Adamo non peccante ex vi præſentis decreti, ut nos aſſerimus, aut veniret paſſibilis, aut impaſſibilis; non primum, quia ſic ſolum venire debebat ad tollendum peccatum; neque ſecundum, quia nunquam decrevit Deus, ut veniret modo impaſſibili, alioquin vel ſic de facto veniſſet, aut fuiſſet mutatum decretum; ergo de facto nullo modo veniſſet ex vi præſentis decreti, ſi Adam non peccaſſet, quia non eſt poſſibilis medius modus abſtrahens à paſſibili, & impaſſibili. Nec valet communis Scotiſtarum, & frequens reſponſio, decretum Incarnationis in primo ſigno fuiſſe de Incarnatione ſolùm quoad ſubſtantiam; poſteà verò viſo peccato determinatam eſſe, quoad modum paſſibilitatis. Non valet, inquiunt, quia prædeſtinatio nõn ſolùm reſpicit ſubſtantiam rei, ſed etiam conditiones individuales præſertim naturales, cùm verſetur circà res ſingulares cum omnibus circumſtantiis ut futuræ ſunt; aut ergò Chriſtus non eſt prædeſtinatus in illo ſigno, aut ſi ſic, fuit prædeſtinatus cum modo paſſibilitatis, qui eſt carni connaturalis.

Confirmatur, quia non veniret Chriſtus vi ullius decreti, de facto exiſtentis, niſi eo modo, quo actu decernebatur ut veniret; ſed non decernebatur de facto venturus, niſi in carne paſſibili, quandoquidem non venerit de facto, niſi in tali carne; ergo nullatenus veniſſet in carne impaſſibili ex vi præſentis decreti, ſed ſi veniſſet, hoc omninò fuiſſet ex vi alterius decreti, quod extitiſſet data hypoteſi, quod Adam non peccaſſet.

66 Reſpondent aliqui Scotiſtæ, ut Centinus, Poncius, Faber, & alii, fuiſſe Chriſtum venturum ex vi primi decreti paſſibilem ab intrinſeco, hoc eſt potentem ab interno mori, quia compactus eſſe debuit ex contrariis, undè decrevit Deus in illo primo ſigno Verbum carnem aſſumpturum ſecundum ſuum eſſe naturale, ſi autem Adam non peccaſſet, dicunt futurum fuiſſe aliud decretum de impaſſibilitate externa, quam ſi perſtitiſſet innocentiæ ſtatus, ſingulis homines adepti fuiſſent, quatenus de facto non fuiſſent mortui, & ex ſpeciali providentia Dei paſſibilitas ab intrinſeco non fuiſſet ad actum reducta, Hęc reſponſio non ſatisfacit ex duplici capite; primò quidem quia inaniter recurrit ad paſſibilitatem ab intrinſeco, ſiquidem cùm diſputamus, an Chriſtus venturus eſſet in carne paſſibili non exiſtente peccato, non de illa paſſibilitate ab intrinſeco eſt ſermo, nam de hac dubium eſſe non poteſt, cùm hæc ſit paſſio, & intrinſeca conditio humanæ naturæ, ſed difficultas eſt de paſſibilitate ab extrinſeco, & quæ ad actum reduci debebat, hæc enim ſola paſſibilitas fuit materia, & ratio noſtræ redemptionis; quarè pręſens difficultas eſt, an caro Chriſti in ea prima prædefinitione decreta fuerit talis, ut paſſionem de facto admitteret, vel excluderet. Deindè, ſi ut veniret impaſſibilis impaſſibilitate externa, non exiſtente peccato, neceſſarium erat aliud decretum, ut aiunt præfati Scotiſtæ, iam amplius non defenditur, Chriſtum venturum impaſſibilem, non exiſtente peccato, ex vi decreti præſentis iam conditi, ſed alterius, quod fuiſſet data hypoteſi; hoc autem eſt extra Chorum canere, quia quæſtio eſt, an eſſet venturus ex vi decreti iam conditi, ut ſæpiùs inculcatum eſt.

67 Reſpondent ſecundò alii, hoc argumentum, cui adeò fidit Vaſquez, poſſe etiam de Adamo formari, atque ideò etiam ab ipſo ſoluendum, nam in illo ſigno antecedenti ad prævitionem peccati in quo Deus determinavit producere Adam, vel decrevit ipſum producere mortalem, vel immortalem; non primum, quia ſi peccatum non fuiſſet, mors non intraſſet in mundum, neque ſecundum, aliter hoc decretum fuiſſet vanum, vel revocatam; Sicut ergò dicimus voluntate abſoluta decretum fuiſſe Adami productionem quoad ſubſtantiam antè peccati prævitionem, conditionatè verò ejus paſsibilitatem, vel impaſſibilitatem, illam nimirum ſub conditione caſus Adami, iſtam verò ſub conditione eius perſeverantiæ; ſic in propoſito in illo priori ſigno voluntate abſoluta, & efficaci noluit ſolùm incarnationem ſubſtantialiter, conditionata verò paſſibilitatem, vel impaſſibilitatem, ſi peccatum futurum eſſet, vel non; abſolutè autem modum paſſibilitatis non definivit, donec permiſit peccatum, & illud prævidit, quia etſi Deus non velit rem, niſi cum omnibus circumſtantiis, & modis, quas reipſa eſt habitura; tamen ſecundum diverſa ſigna rationis prius nos intelligimus interdum velle rem, quàm modum eius, quia intelligimus modum dependere ab aliquo fine, vel occaſione, à quo res ſubſtantialiter non dependet; undè quia eiuſmodi circumſtantiæ impertinentes ſunt ad ſubſtantiam humanitatis ideò poterat myſterium extrinſecè variari, non mutata abſolutè rei ſubſtantia; Nequa ſequitur, ut inſtat Vaſquez, decretum Dei de ſubſtantia Incarnationis non fuiſſe efficax, ut ex vi illius infallibiliter Chriſtus, veniret, ſi Adam non peccaſſet, eo quod illud decretum fuerit conditionatum objectivè ſecundam abſolutam obiecti ſubſtantiam. Hoc enim falsò aſſumitur à Vaſquez, cùm conditio ſe teneat præcisè ex parte extrinlecæ ſubſtantiæ Incarnationis, ſcilicet, paſſibilitatis, vel impaſſibilitatis carnis aſſumendæ, non ex parte ſubſtantiæ; itá Vulpes, Gallus, & alii Recentiores, quam reſponſionem approbat etiam Suarez *loc. cit. ſect.* 5.

68 Verùm neque hæc reſponſio omninò ſatisfacere videtur, quamvis enim eiuſmodi decreta conditionata poſsint, ac debeant in Deo admitti modo jam declarato *lib.* 1 *diſp.* 3 *q.* 4 *art.* 4. in præſenti tamen, quando quæritur, an Chriſtus venturus eſſet ſi Adam non peccaſſet, ex vi præſentis decreti iam conditi de futura Verbi Incarnatione, non eſt ſermo de ullo decreto conditionato, ſed abſolutio; decretum autem abſolutum de ſubſtantia Incarnationis, cum ponatur præcisè terminatum ad ſubſtantiam Incarnationis, & omninò præſcindens à modis paſsibilitatis, ac impaſſibilitatis, planè ſufficiens non videtur, ut Chriſtus dicatur venturus ex vi ipſius in carne impaſſibili, ſed præter hoc neceſsarium omninò eſset aliud novum decretum ad modum impacibilitatis terminatum; Confirmatur, quia difficultas eſt non levis momenti apud Theologos, ut patet ex dictis *loc. cit.* an quando futurum conditionatum tranſit in abſolutum purificata conditione, tranſeat ad talem ſtatum vi alterius decreti abſoluti de ipſo noviter facti, an potius vi ſolius decreti conditionati prioris, quod in ſe prorſus immutatum, ſola intellecta mutatione, & purificatione conditionis, tranſit de conditionato in abſolutum, & cauſat eſſe abſolutum in effectu; & quamvis hoc ſecundum admittendo, ut ibi probabiliter innuimus, poſset reſponſio aliquam habere apparentiam; tamen ſequendo primam viam, nullatenus ſaluari poteſt, Chriſtum venturum, ſi Adam non peccaſset, ex vi decreti iam conditi, nec abſoluti ad ſubſtantiam Incarnationis terminati, nec conditionati ad circumſtantias ſub conditione terminati, ſed omninò neceſſarium eſset aliud decretum novum abſolutum.

69 Reſpondent tertiò alii, quod non exiſtente peccato adhuc Chriſtus veniſset in carne impaſsibili, & quidem ex vi eiuſdem decreti iam conditi, quia decretum abſolutum iam conditum de veniendo ante permiſsionem, & prævitionem cuiuſcunque

cunquè peccati, fuit de veniendo meliori modo abſolutè loquendo juxtà occurrentes occaſiones in poſterioribus ſignis; & licet de facto venerit in carne paſſibili propter remedium peccati, quatenus ille erat optimus modus communicandi ſe ad extrà, ſuppoſito peccato, & oſtendendi divitias gloriæ Dei; non per hoc tamen ſequitur, quod aliter non veniſſet, quia in alio caſu, quo non fuiſſet peccatum, fuiſſet alius modus perfectior ſe communicandi, nempè in carne impaſſibili, & hoc quidem ex vi ejuſdem decreti, quia hoc non fuit explicitum de ſic, vel ſic veniendo, ſed de veniendo meliori modo juxtà occaſiones occurrentes; Et ratio eſt, quia aliquod medium habere poteſt neceſſariam connexionem cum intentione alicuius finis aliqua ſuppoſitione facta, qua ſublata tollitur neceſſitas illius medii, nec propterea neceſſarium eſt tolli intentionem finis; quod Suarez *ſect.* 5. *cit.* exemplo tali declarat, ut ſi quis habeat abſolutum propoſitum effundendi bona ſua, & divitias, illas à ſe abdicando optimo, & honeſtiori modo, quo poſſit; ſtante hac intentione, ſi ſe offerant pauperes, & indigentes, neceſſe eſt, ut ex vi illius intentionis in illos effundat divitias ſuas, quia ea ſuppoſitione facta, ille eſt honeſtior modus effundendi divitias; ſi autem ſtante illo propoſito, non ſe offerant pauperes, tunc quamvis non poſſent divitiæ illo honeſtiſſimo modo communicari, non ob id opus eſt prius propoſitum tolli, quia in illo non determinatè includebatur, hic modus communicandi divitias per modum eleemoſinæ, ſed modo honeſtiſſimo poſſibili iuxtà occurrentes circumſtantias; ſic igitur in propoſito illa prima intentio communicandi ſe ad extrà non fuit in ſe coarctata, & limitata ad hoc medium, nimirum ſe communicandi in carne paſſibili, & propter remedium peccati, neque hic modus in particulari fuit in ea explicitè contentus, ſed ſolùm generatim, quatenus illud decretum definitum fuit ſecundum optimum modũ exequendi illud iuxtà occurrentes circumſtantias, poſſet autem eſſe alius modus optimus, & convenientiſſimus iuxtà capacitatem hominis in ſtatu innocentiæ, etiamſi non fuiſſet peccatum; itá Suarez Morandus, Aretinus, & alii.

70 Sed neque hæc reſponſio admodum placet, nam in primis Deum ad meliora non eſſe neceſſitatum ſæpius oſtendimus *lib.* 1. *Sent.* ſiquidem per huiuſmodi neceſſitatem ferè ex integro dominium ipſius in creaturas deſtrueretur; Tùm quia etiam admiſſo, quod non debuerit Deus velle Incarnationem, niſi optimo modo, poſſet quis dicere, hunc modum eſſe eam velle in redemptionem peccati, undè Tannerus ex hoc capite probat non debuiſſe illam velle independenter à peccato, ſeu caſu, quo non eſſet peccatum. Tùm quia è contrà poſſet etiam quis dicere nobiliorem eſſe modum ſi Deus impaſſibilis veniret etiam ſuppoſito peccato, noſque redimere per actus interiores à paſſione independentes, qui non minus eſſent infiniti meriti, & ſatisfactionis: Tùm etiam quia poſſet quis dicere, ut meliori, & perfectiori modo veniret ſuppoſito peccato, debuiſſe venire, ut pręſervator à peccato, qui eſt longè nobilior redimendi modus, & quo B. Virgo fuit à Chriſto redēpta, ut ait Doctor 3. *diſt.* 3. *q.* 1.

71 Reſpondetur itaque melius juxtà communem Scotiſtarum doctrinam ſuperius aſſignatam *n.* 35 & 36. quod ſi non fuiſſet peccatum, Chriſtus veniſſet in carne impaſſibili extrinſecè, non quidem quia primum decretum fuerit de impaſſibilitate formaliter, & explicitè, quia ſolùm terminatum fuit ad ſubſtantiam Incarnationis, & ad carnem abſolutè aſſumendam, ſed quoniam ex tali prædeſtinatione futurus erat impaſſibilis in ſua cauſa, quatenus abſque alio decreto ſuperaddito beatitudo animæ redundaſſet in corpus, qua ratione dicebamus ſecundum decretum habitum de paſſibilitate in poſteriori ſigno poſt peccati pręviſionem non pugnare cum primo, nam per primum decretum fuit prædeſtinatus impaſſibilis tantùm in cauſa, non verò formaliter: itá Rada, Belluтus, Baldius, & alii Scotiſtæ paſſim. Nec urget, quod obiicit Centinus *loc. cit.* ſic dicendo ſecundum decretum fore contrarium, & pugnare cum primo ſaltem obliquè, & indirectè, quia eſtò in primo decreto non fuerit impaſſibilitas directè decreta, involuebatur tamen virtualiter, quatenus ſecutura fuiſſet ex naturali redundantia beatitudinis animæ in corpus; quæ virtualis repugnantia in eis decretis aliquam imperfectionem importare videtur, ac proindè in eis minimè eſt admittenda. Non, inquam, id urget, quoniam hæc virtualis contrarietas, ac repugnantia nulla eſt, ac nullam prorſus imperfectionem dicit, nulla enim eſt repugnantia, vel contrarietas, quod vinum v. g. dicatur formaliter frigidum, & virtualiter calidum; undè illa decreta non ſunt virtualiter contraria, eo modo, quo virtualiter ſunt contraria ignis, & nix, eo quia continent effectus formaliter contrarios. Tùm quia formalis contrarietas, vel virtualis attenditur in rebus pænes intrinſecam earum entitatem; at in eo primo ſigno decretum fuit Verbum aſſumere carnem impaſſibilem, non quidem ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco, in hoc nimirum ſenſu, ut ejus impaſſibilitas penderet à redundantia gloriæ in corpus cum potentia tamen ad carendum ea, & conditione, ut poſſit non redundare, ut juxtà rerum ſtatum poſſet habere carnem pro hoc, vel illo ſtatu, nempè innocentiæ, vel lapſus; undè decretum illud hoc modo eſt indifferens, ut componi poſſit cum proxima paſſibilitate, vel impaſſibilitate, atque ideò decretum de paſſibilitate ſequens in poſteriori ſigno non illi repugnat nec formaliter, nec virtualiter propriè loquendo, ut declaratum eſt *num.* 36. & pluribus proſequitur Hurtadus *diſp.* 13. *cit. ſect.* 2. ubi plures excludit inſtantias Raguſæ contrà allatam reſponſionem.

72 Et cùm dicebatur, dare non poſſe, vel cogitari carnem in medio quodam ſtatu abſtrahentem à paſſibilitate, vel impaſſibilitate; quamvis hoc verum eſſet de paſſibilitate, & impaſſibilitate intrinſeca; undè concedimus Chriſtum in eo primo ſigno prædeſtinatum fuiſſe in carne ſecundum ſuum eſſe naturale, hoc eſt, ab intrinſeco paſſibilis; nequaquam tamen verum eſt de paſſibilitate, & impaſſibilitate ab extrinſeco: undè ſicut Adam in ſtatu innocentiæ habuit carnem in eſſe naturali, quod erat medium quodamodo inter carnem glorioſam, & carnem actu, vel proximè mortalem, qualis eſt poſt peccatum; itá dicendum eſt de carne Chriſti in illo primo prædeſtinationis ſigno antè prævitionem peccati, quod nec erat proximè mortalis, nec immortalis, ſed cum utraque compoſſibilis diſiunctim; & quamvis Deus rem non velit, niſi cum omnibus circumſtantiis, & modis, quibus à parte rei exiſtet, tamen ſecundum diverſa ſigna rationis prius intelligi poteſt rem velle, quàm modum eius, vel circumſtantiam accidentalem, quando præſertim modum intelligimus dependere ab aliquo fine vel occaſine extrinſeca, à qua res ſubſtantialiter non dependet, ut evenit in propoſito, nam impaſſibilitas, & paſſibilitas extrinſeca dependebant à ſtatu innocentiæ, vel lapſu; Et ſic pariter, quamvis prædeſtinatio ſit circà res ſingulares, & ſecundum circumſtantias intrinſecè naturam ſingularem concomitantes; non tamen ſecundum circumſtantias extrinſecas, ut ſunt in propoſito paſſibilitas, & impaſſibilitas extrinſeca, de quibus hìc eſt ſermo, niſi de toto ordine prædeſtinationis loquamur; ſic etiam D. Petrus fuit prius prædeſtinatus ad gloriam, quàm decretum fuerit de morte, qua erat eam conſecuturus, an ſcilicet per crucem vel aliud martyrii genus.

Ad Confirmationem tandem patet eſt dictis *num* 36. & 64. Quod cùm dicimus ex vi præſentis decreti iam conditi adhuc Chriſtum venturum ſublato peccato in carne impaſſibili, non eſſe ſermonem de ſecundo decreto habito in poſteriori ſigno, & pertinente ad modum Incarnationis, ſed de primo decreto habito in priori ſigno, & ſubſtantiam Incarnationis præcisè attingente; quamvis enim eo decreto non ſit præfinitus formaliter impaſſibilis, fuit tamen ſic decretus in ſua cauſa ob naturalem redundantiam animæ in corpus; hæc enim ex natura rei ſubſecuta fuiſſet, atque ideò nullo ſubſecuto peccato abſque ullius decreti mutatione, aut alterius novi neceſſitate, veniſſet impaſſibilis ex vi illius eiuſdem decreti iam conditi, quia ſic fuit conditum, ut poſſet componi cum paſſibilitate, vel impaſſibilitate iuxta rerum eventum.

Secundò principaliter arguunt, quia ut in aliis, ita in 73
hoc myſterio loqui debemus, quo congruentius oſtenduntur Dei attributa; at opinio affirmans Chriſtum veniſſe ſolùm ad nos redimendos, magis celebrat divina attributa; ergo &c. Probatur minor, quia hæc opinio eſt magis pia, auget Dei miſericordiam erga nos, dùm profuit inimicis, & bonitatem, quod ex tanto malo tanti boni occaſionem ſumpſerit; reddit rationem, cur potius noſtram naturam aſſumpſit, quàm angelicam; & cùm venerit hoc tempore lapſus, ſignum eſt, quod venerit tantùm ob redemptionem noſtram, alioquin non venturus.

Reſpondetur negando minorem, quamvis enim oppoſita opinio ſuppoſito peccato valdè divinam miſericordiam, charitatem, & bonitatem extollat, valdè tamen deprimit, & obſcurat in ſtatu innocentiæ; undè noſtra opinio potius, ut magis pia præferenda videtur, quandoquidem in utroque ſtatu divina extollat attributa, dùm ponit adventum Chriſti, & propter noſtram exaltationem, ac etiam redemptionem utrumque ſtatum comprehendens. Quod quidem Suarez *diſp.* 5. *ſect.* 5. *cit.* ſic eleganter declarat, licet enim hæc duo motiva inter ſe præcisè comparando, diverſis rationibus ſe ſe excedere videantur, & in ſingulis maximum quoddam amoris inditium reperiri; ſimpliciter tamen, & abſolutè loquendo ex utroque motivo ſimul ſumpto magis divina manifeſtantur attributa, quàm ex altero tantùm; nam in priori Incarnationis motivo ſecundum ſe oſtenditur ſumma divinæ voluntatis propenſio ad ſe ſe communicandum ad extrà ſuis creaturis, & præſertim hominibus, ovorum naturam cæteris prætulit, non tantùm ob peccati indigentiam, ſed per ſe ſe ex ſola ſua charitate, & amore, quo decrevit habere delitias ſuas cum filiis hominum; undè in hoc indu-

dubiè prius motivum excedit ſecundum, nempè Redemptionis, quia non expectavit ſummam hominum indigentiam, & neceſſitatem, ut ſummo modo ſeſe hominibus communicare vellet; Neque hic amor fuit ad ſolam illam ſingularem naturam, quàm aſſumere voluit, ſed ſimpliciter ad humanam ſpeciem, quam totam per ſe voluit hoc exaltare myſterio, juxtà illud Pſalm 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*, id eſt hominem in tota ſua ſpecie exaltaſti in Chriſto, ut exponit Paulus ad Hebr. 2. per quem hæc dignitas in totum humanum genus redundat, quia enim Chriſtus caro noſtra eſt, quod iſti contingit, nobis contigiſſe dicitur, ut exponit Adamus; in quo tandem oſtendit etiam Deus ſingularem benevolentiam ad Chriſti animam, & humanitatem, quod ex ſolo ſuo beneplacito abſque ullo ſingulari motivo, quod ex parte ejus præceſſerit, eam cæteris ad tantum bonum prælegerit; At verò motivum redemptionis in hoc excedit, quod ex vi illius non tantùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis homo fieri voluit; item quod ex vi illius ſimpliciter loquendo vel majora, vel plura beneficia contulit tali animo & voluntate, ut ea ſola ratione, & propter illud motivum ea omnia conferret, quamvis ex nullo alio tantum myſterium facere decreviſſet.

74 Hinc tandem infert Suarez, quomodo in his motivis ſimul ſumptis magis divina charitas oſtendatur; nam ſi Deus ità voluiſſet innocentes homines ſua Incarnatione honorare, & ditare, ut eoſdem in peccatum lapſos nollet eadem Incarnatione redimere, non ſeſe oſtenderet peccatores diligere, eorumque miſereri; & niſi hoc motivum indigentiæ humanæ naturæ fuiſſet ab ipſo exiſtimatum ſufficiens ad hoc beneficium hominibus præſtandum, minorem ſe habere ad peccatores charitatem oſtenderet; Similiter è converſo, ſi Deus ità exiſtimetur affectus ad humanum genus, ut non niſi ob extremam neceſſitatem, & indigentiam illi eſſet hoc ſummum beneficium præſtiturus, nec ſolam beneficentiæ rationem, & humanæ naturæ exaltationem exiſtimaverit ſufficiens motivum ad hoc tantum bonum naturæ humanæ tribuendum, niſi ſimul miſericordia, & ſublevatio à ſumma miſeria interveniret, minus quidem in hoc oſtenderetur charitas Dei ad homines, quam ſi utroque ſtatu intelligatur voluntas ejus propenſa, & inclinata ex vi utriuſque motivi ad ſeſe communicandum hominibus, eiſque benefaciendum juxtà eorum ſtatum, & capacitatem: ſicut inter homines maiorem amorem oſtendit, qui omnia bona ſua vult cum amico communicare, non ſolùm ut eum ab aliqua miſeria, vel indigentia liberet, ſed etiam ut eum in altiori ordine, ac dignitate conſtituat, quàm ſi ei tantùm in extrema neceſſitate conſtituto ſubvenire velit.

75 Dices, non decet Regem ſine cauſa domum ſubditi adire, ſi tamen id facit, quando ſubditus ægrotat, non modò non dedecet, ſed honorificum ipſi eſt; ſic honorificum Alexandro fuit de capite ſuo diadema detrahere, ut vulnus Liſimachi alligaret, quod tamen ſine neceſſitate Alexander non feciſſet; & Paterfamilias, ait D. Thom aliquod prætioſius dat ſervo ægroto, quod non daret ſano. Negatur aſſumptum, nam ex diſcurſu præcedenti conſtat decere Regem, ejuſque amorem in ſubditum magis oſtendere, ſi domum ſubditi adeat, & ſuum diadema in eius capite ponat, non ex ſola neceſſitate morbi, & vulneris, ſed etiam ut ſervum honorificet; & ſi Paterfamilias daret prætioſum donum ſervo ſano, quod alii dare ſolent ægroto, hoc planè majoris eſſet indicium amoris ergà ſervum.

76 Tertiò arguunt, quoniam eſtò hæc duo motiva admittantur concurriſſe ad Incarnationem ponendam; nimirum, & naturæ humanæ exaltationem, ac etiam eiuſdem à peccato redemptionem, ac etiam quod primum præceſſerit ordine rationis, & originis; nihilominus alterum adhuc videtur prius dignitate, & excellentia, ac per conſequens motivum redemptionis, ſi non poteſt dici unicum, & totale reſpectu Incarnationis, ſaltem dici debebit præcipuum, & principale; probatur conſecutio, nam etiam frequenter in nobis contingit, ut motivum, quod eſt prius prioritate originis, & durationis, non ſit prius dignitate, & excellentia.

Reſpondetur etiam cum eodem Suarez loco citato hæc duo motiva ſe habere, ut excedens & exceſſum ſub diverſa ratione, nam ſi conſideretur id, quod præciſè ſingula dicunt ſeorſim ſumpta, maius quidem, & excellentius eſt primum motivum, quàm ſecundum, quia ſimpliciter maior eſt excellentia ipſius myſterii ſecundum ſe, quàm hominum redemptio, nam illud eſt maximum bonum propter ſe appetibile, non verò iſtud, ut ſuprà dictum eſt; imò maior eſt dignitas, & excellentia ſolius animæ Chriſti, quàm cæterarum omnium ſimul, maiuſque beneficium eſt Incarnatio Chriſti, quàm paſſio, vel mors, cùm ex Incarnatione, ut ſic, ſequatur fructus gratiæ, & gloriæ, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum; At ſi motivum Redemptionis conſideretur, non ſolùm ſecundum id, quod addit primo motivo, ſed etiam quatenus includit quicquid maius, & excellentius eſt in illo: hac ratione utique hoc motivum dici poteſt, ac debet maius, & excellentius: quia movet divinam voluntatem non ſolùm ad volendum hypoſtaticam unionem, ſed etiam admirabilem eius modum, & movet ad volendum non ſolùm Chriſti Incarnationem, ſed etiam eius paſſionem, & mortem, quod cenſetur maximum Dei beneficium, non præciſè, ſed quatenus Incarnationem includit: & denique poteſt etiam dici efficacius motivum, quatenus maiorem indigentiam, & miſeriam in humana natura ſupponit, ex qua maior neceſſitas orta eſt huius myſterii, velut medii, & medicinæ: Ex quo fit etiam, ut hoc modo conſideratum ſit aptius ad Dei iuſtitiam, miſericordiam & alia attributa manifeſtanda, quia includit omne id, quod eſt in Incarnatione ſecundum ſe conſiderata, & addit plures alias rationes, quibus magis oſtenduntur hæc attributa, ſuppoſito peccato, & neceſſitate redemptionis, quæ ex illo orta eſt, quàm ſine illis.

Quartò tandem arguunt, quia ex noſtra ſententia ſequeretur, quod ſtatus innocentiæ duo capita habuiſſet, nam in eo ſtatu Chriſtus quoque caput fuiſſet, ut nos concedimus, ac pariter Adam fuiſſet caput naturale, ut de ſe conſtat, ac etiam morale, quia omnes juſtitiam originalem, & gratiam dependenter ab eo recepiſſent, quam rationem fusè proſequitur Amicus Reſpond. negando conſequentiam, nam licet in ordine naturæ Adam utique fuiſſet totius generis humani caput, tamen in ordine gratiæ, & gloriæ ſolus homo aſſumptus, id eſt, Chriſtus fuiſſet caput, ut hominum iuſtificator, & glorificator, cuius ipſe quoque Adam fuiſſet membrum; neque Adam fuiſſet caput iuſtitiæ, & ſanctitatis meritoriè eas influens in poſteros, ſed tantùm propter dependentiam ab eius conſtantia, & perſeverantia in ſtatu innocentiæ; in hoc, inquam, ſenſu fuiſſet Adam caput iuſtitiæ originalis, & gratiæ poſterorum, non autem quia fuiſſet cauſa propriè meritoria gratiæ, & gloriæ eorum, alioquin ignobilius caput habuiſſent homines in ſtatu innocentiæ, & nobilius, ac valdè excellentius in ſtatu peccati, ac proindè melioris conditionis fuiſſet homo in ſtatu naturæ lapſę, quàm in ſtatu innocentiæ, quod eſt abſurdum, ut conſtat ex dictis *num.* 42. & 54. Quod ſi contendas, Adamum per gratiam, quam de facto habuit, futurum fuiſſe caput iuſtitiæ poſterorum, & cauſam propriè illius meritoriam, ſi non peccaſſet, quod inquit Amicus colligi ex pacto, quod Deus iniit cum Adamo, ſi ipſe in iuſtitia accepta perſeveraſſet, non modò ſuo merito eam ſibi conſervaſſet, ſed eandem ſuis poſteris transfudiſſet. 77

Reſpondeo hoc etiam admiſſo non ſequi futurum caput Adam iuſtitiæ poſterorum, ſi non peccaſſet, quoniam etiam in Adverſariorum quorundam ſententia gratiam, quam habuit Adamus in ſtatu innocentię habuit ex meritis Chriſti, undè ſi in ea perſeveraſſet, & ratione talis perſeverantiæ eam quoque poſteris meruiſſet, non tamen dici poſſet caput in ordine gratiæ, & glorię, ſed potius ſolus Chriſtus, ex cuius meritis eam habuit, adeout Chriſtus ſolus eſſet fons, & origo totius gratiæ, & gloriæ, tùm Adam, tum poſterorum; & quamvis Adam per comparationem ad poſteros poſſet ea ratione aliquo modo dici caput iuſtitię originalis eorum, ſi non peccaſſet, ſimpliciter tamen, & abſolutè loquendo Chriſti membrum dici deberet, in quod meritoriè Chriſtus ipſe eam gratiam influit; Et quando etiam primam gratiam ſanctificantem Adamo in ſtatu innocentiæ non meruiſſet (cuius tamen oppoſitum probabilius eſſe ſtatuimus *quæſt. ultim. diſp. præced. artic.* 2. in fine) quomodo adhuc dici poſſet primum caput hominum, & angelorum etiam ibi declaravimus *num.* 492 propter excellentiam nimirum humanitatis aſſumptæ, & per influxum aliarum gratiarum, & conſolationum ſpiritualium; & ſic de facto reſpondent Scotiſtæ, negantes Chriſtum meruiſſe primam gratiam ſanctificantem Angelis, & primis parentibus antè lapſum; ſed prima ſolutio magis ſatisfacit; alia quędam argumenta levis momenti vide ſoluta apud noſtros.

Quæri ſolet hic, num Chriſtus veniſſet in carne paſſibili, ſi ſolus Adam peccaſſet, & non cæteri homines, aut è contrà; ſeù ſub alio titulo, an Chriſti Incarnatio principaliter facta fuerit ad delendum peccatum originale, vel potius actuale. Cui quæſito breviter reſpondendum eſt, omnes Doctores in hoc convenire, quod Chriſtus venerit paſſibilis ad delenda omnia peccata, tam originale, quàm actuale, hoc ſiquidem pertinet ad perfectum munus redemptoris, qui venit ut nos mundaret ab omni iniquitate, & faceret ſibi populum acceptabilem; ſimpliciter tamen loquendo principalius venit Chriſtus in carne paſſibili ad delendum peccatum originale, quia remedium peccati originis, per quod totum humanum genus corruerat, fuit præcipuum motivum Incarnationis in carne paſſibili, ut patet ad Rom. 5. *Ut ſicut per unum hominem, omnes homines perierant, ità per unum hominem viuificarētur.* Tùm quia peccatum originale fuit radix, & origo omnium peccatorum; ergo 78

ergo Chriſtus, ut perfectus medicus principalius venit, ut adhiberet remedium cauſæ, & radici omnis ægritudinis; undè conſequenter, ſi ſolus Adam peccaſſet, utique Chriſtus veniſſet paſſibilis ad delendum tale peccatum. Similiter idem dicendum, ſi Adam non peccaſſet, ſed cæteri mortaliter peccaſſent, aut ſaltem in majori parte (quicquid ſit de iſta hypoteſi, quæ non admittenda videtur, ſi peccatum originalę ponatur eſſe radix, & origo omnium actualium) addendum tamen id non futurum ex vi præſentis decreti jam conditi, ſed ex alio decreto, quia præcipuum motivum præſentis decreti veniendi in carne paſſibili jam diximus fuiſſe remedium peccati originis. Quod ſi unus, aut alter peccaſſet, ſeù multi, ſed pauciores, probabilius eſt Chriſtum non venturum pro eorum reparatione, quia non decebat propter paucorum hominum ſalutem Chriſtum pati, & mori, ſed Deus aliud adhibuiſſet medium ad illos paucos ſalvandos; Et nota hic ſermonem eſſe de peccatis mortalibus, quia venialia non conſtituunt hominem Deo inimicum, nec abſolutè excludunt à regno Cœlorum, ſed tantum retardant ingreſſum.

79 Quæri etiam ſolet, an ad reparandum genus humanum Incarnatio fuerit medium neceſſarium, vel ſolùm conveniens. Cui pariter quæſito breviter reſpondendum ex Scoto 3. *diſt.* 20. Primo potuiſſe Deum relinquere humanum genus in ſtatu peccati abſque reparatione, non enim ad hoc obligabatur Deus, undè dicitur Sapient. 12. *quis tibi imputabit ſi perierint nationes, quas tù feciſti?* ideoque in Sacra Scriptura reparatio humani generis ſimpliciter, & abſolutè divinæ tribuitur miſericordiæ, & liberalitati. Tùm quia de facto non reparavit Deus naturam Angelicam, quæ humanæ præcellit, ergò multò magis potuit non reparare humanam; Tùm tandem, quia ſi hominem æterna pœna puniviſſet, hoc totum juſte feciſſet. Secundo dicendum eſt, quod ſuppoſita voluntate reparationis, potuit reparare non per viam ſatisfactionis, & redemptionis, ſed alio modo; & ratio eſt, quia poteſt peccata gratis dimittere abſque eo, quod ſatisfactionem exigat, cùm enim ſit ſupremus omnium Dominus, poteſt utique legem diſpenſare, & proprio juri cedere. Denique dicendum, quod etiam ſuppoſita voluntate ſatisfactionis potuit hanc accipere abſque eo, quod Verbum fuerit Incarnatum; quod probat Doctor *loc cit.* & 4 *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. ex D. Auguſt *lib.* 13. *de Trin. cap.* 10. dicente non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe redimendis genus humanum, & *lib. de agone Chriſti cap.* 11. ſtultos appellat, qui dicunt, non potuiſſe aliter ſapientiam Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem; Quando autem hic dicimus potuiſſe Deum ſatisfactionem accipere pro peccato abſque aſſumptione humanitatis, præſcindimus ab ea quæſtione inferius tractanda, an potuit pura creatura ad æqualitatem ſatisfacere; ſiquidem ad veritatem pręſentis aſſerti ſufficit, quod poſſit aliquam ſatisfactionem præbere pro illata injuria; & quod potuerit Deus hac contentus eſſe, atque placari ergà humanum genus non ſecus, ac ſi fuiſſet ad æqualitatem; illam ab unoquoque hominum exigendo, vel alicui puro homini gratiam concedendo, & obligationem imponendo, ut pro ſe, & aliis eam qualemcunque ſatisfactionem exhiberet; Quæ verò contrà præfatam doctrinam obiici ſolent ſoluit P. Bellutus exactè *diſp* 7 *cit quæſt.* 3. ubi fusè de hac re.

QVÆSTIO SECVNDA.

An peccando committamus injuſtitiam in Deum, itaut ex juſtitia teneamur ad ſatisfactionem.

80 TRes in præſenti controverſia ſunt opiniones, duæ extremæ, & tertia veluti media; Prima extrema negat peccatum aliquod eſſe injuſtitiam propriè ſumptam in Deum, atque ideò negat hinc oriri in homine obligationem ex juſtitia ad ſatisfaciendum Deo pro peccato commiſſo, ità Vaſquez 1. *par. diſp.* 81 *cap.* 4. & 3. *part diſp.* 7. quibus in locis, negat dari poſſe in hominibus veram obligationem juſtitiæ ergà Deum, pro quo plures recenſet Doctores, & ex noſtris ſequitur Gallus 3. *diſt.* 20. *quæſt. unic. diſp.* 2. *ſect.* 2. Alia extrema opinio affirmat omne peccatum habere malitiam annexam iniuſtitiæ ſtrictè ſumptæ in Deum, quæ videtur fuiſſe communis apud antiquos, & ex profeſsò defendunt Suarez 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 5. Et in *opuſc. de iuſtitia ſect.* 2 & alibi, Arriaga *tract de Iuſtitia Dei diſput.* 31 *ſect.* 6 & alii Recentiores, undè conſequenter aſſerunt hominem poſt peccatum manere ex juſtitia obligatum ad ſatisfaciendum. Tertia ſentia media à pluribus defenditur Recentioribus, licet non eodem modo ab eis explicetur; Ouvied. *part.* 2. *tract.* 9. *controverſ.* 8. *punct.* 4. & 5. ait, quod licet non detur in effectu iuſtitia commutativa hominum erga Deum, dari tamen in affectu, iniuſtitiam commutativam, pro quo etiam citat Alarcon. Hurtadus verò 3. *part. diſput.* 12. *ſect.* 7. & 8. & Cardinalis de Lugo *diſp.* 3. *ſect.* 3. concedunt aliquandò, licet raro, peccare hominem in Deum peccato iniuſtitiæ propriè, & ſtrictè ſumptę, de qua hic tantùm eſt ſermo, quando ſcilicet per blaſphæmiam Deo adimimus honorem extrinſecum, vel ſi Deus uti vellet titulo dominij, & proprietatis, quod ergà nos habet, nam tunc peccando ut eremur creaturis invito Domino; quo tamen caſu dato, adhuc negat Lugo ex tali peccato oriri in homine obligationem ex iuſtitia ſtrictè ſumpta ad ſatisfaciendum Deo pro illo peccato; quæ autem ſit juſtitia propriè dicta, & quæ communiter, iam diximus *diſp præced de Merito num.* 148 & 149.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sententia affirmativa præfertur.

DIcendum eſt cum ſecunda ſententia omne peccatum includere rationem iniuſtitiæ ſtrictè ſumptæ in Deum, ideoque peccantem univerſaliter ex quolibet peccato manere obligatum ex juſtitia ad ſatisfaciendum Deo pro illata iniuria; imò ſi ex peccato relicta fuerit infamia de divino honore, teneri etiam ad reſtitutionem. Concluſio expreſsè deducitur ex Scoto 4. *diſp.* 14. *q* 2. ubi ſatisfactionem, & pœnitentiam ad ſpeciem iuſtitiæ revocat, quam tenent Bellutus *diſp* 7. *qu.* 5 *art.* 4. Poncius *diſp.* 6 *qu* 6 & alij Recentiores Scotiſtæ; ac Neutrales; Probarique poteſt primò ex Scriptura, Patribus, ac Theologis, à quibus peccatum paſſim vocatur iniuſtitia, & peccator dicitur iniuſtè agere, undè etiam peccatum formaliter dicitur privatio juſtitię debitæ; affirmant etiam in omni peccato Dei juſtitiam violari, & illi propriiſſimā irrogari iniuriam, & indè reſultare obligationem iuſtitiæ in peccatore ad præſtandam opportunam ſatisfactionem; Cùm igitur locutiones huiuſmodi accipi poſſint, ac debeant in ſenſu proprio, ſequitur hominem, dùm peccat, veram obligationem iuſtitiæ contrahere, ad ſatisfaciendum, & iniuſtitiam propriam committere; Quod etiam valida convincitur ratione, quando enim quis re utitur aliena invito domino, tunc veram & propriam committit injuſtitiam, peccator autem quando peccat, utitur ſeipſo, ſuis actionibus, cæteriſque creaturis invito domino Deo; quia peccatum quodlibet eſt auverſio à Deo, & converſio ad creaturas, & tunc peccamus, cùm fruimur non utendis; ergo. 81

Reſpondent contrarij peccatum eſſe formaliter injuſtitiam, & contrà iuſtitiam non verè, & propriè ſumptam, id eſt, commutativam, de qua eſt præſens diſputatio, ſed legalem, qua ſuperior præcipere poteſt, & præcipiendo obligare, & ſubditus tenetur obedire; & ius Principatus, ac legalis Principis obligatio ſatisfaciendi pro peccato commiſso oritur ex iuſtitia legali; Et quia Deus nobis præcepta iniungit ut eſt Dominus dominio iuriſdictionis, non autem, ut eſt dominus dominio proprietatis, ideò quando homo peccat, utitur creaturis invito domino Deo, non dominio proprietatis, ſed iuriſdictionis, undè peccatum eſt potius in ſpecie inobedientiæ, quàm iniuſtitiæ propriè dictæ: pro quo notandum eſt duplex diſtingui dominium, aliud iuriſdictionis, aliud proprietatis: primum eſt poteſtas illa, quam habet ſuperior erga ſubditos imperandi ea, quæ ſpectant ad bonum politicum, & commune, qua ratione ſolet etiam dominium politicum appellari: alterum eſt poteſtas, quam habet Dominus ergà rem propriam, utendo illa pro libito, & in propriam utilitatem, non verò in utilitatem communitatis, qua ratione vocari ſolet dominium deſpoticum: quę duo dominia ſeparari poſsunt quoad actum ſecundum, quamvis eſsent in eodem unita in actu primo: ut Princeps ergà ſervum utrumque habet dominium, ſed quandò imperat operationes aliquas in propriam utilitatem reſultantes, exercet proprietatis: quandò verò imperat actiones ad utilitatem ſubditorum ſpectantes, ut verbi gratia nequiſquam noctu cum armis vagetur, exercet cum ſervo dominium iuriſdictionis dominium, & ius pertinens ad iuſtitiam, de qua loquimur, eſt dominium proprietatis, nam dominium iuriſdictionis attinet ad virtutem obedientiæ, quæ etiam eſt ſpecies quędam iuſtitiæ legalis in communi. Aiunt igitur, quod eſtò Deus habeat ergà nos non tantum dominium iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis, quippè qui eſt Iudex vivorum, & mortuorum, & dicitur Dominus, & legifer noſter, non tamen hoc poſteriori utitur; quia in præcipiendo hoc nobis non exprimit, & in dubio non debemus prę ſumere; tùm quia omnia præcepta ſunt impoſita per modum legis naturalis, vel poſitivę, lex autem, ut lex, procedit à dominio iuriſdictionis; ergo in peccatis reperitur tantum malitia inobedientiæ, non autem iniuſtitiæ propriè dictæ, quia per ipſa læditur tantùm dominium iuriſdictionis Dei, non proprietatis, ad contrahendam verò malitiam propriæ iniuſtitię requiritur, ut peccatum ſit contrà Deum exigentem opus titulo etiam dominii proprietatis. Hac ratione etiam dicunt Hurtadus, Lugo, & alii Auctores tertię ſententię medię, quod licet, quando Deo auferimus honorem, aut caſu, quo Deus à nobis titulo dominii peteret noſtra opera; peccatum contrà iuſtitiam committeretur; tamen ſi Deus 82